



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. III. De causis, in quibus com promitti potest in arbitros, vel non.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

*Decret. Ne Clerici vel Monachi &c. & Sexto prohibentur notoriè excommunicati non tolerati, seu vitandi, cum quibus nullū commercium esse potest, ita ut nec amiables compositores esse possint, quod tamen Religiosis prohibitum non est. Et septimò denique sicuti nemo in re propria sua iudex esse potest, ita nec potest esse in re sua propria arbiter, cum nemo possit sibi ipsi jus sive sententiam dicere.*

## §. III.

*De causis in quibus compromitti potest in arbitros, vel non.*

**S**uper qualibet re, in genere loquendo compromitti in Arbitros potest, de qua id nullo jure reperitur prohibitum. In specie autem primò in causis arduis & magno præjudicii, quæ à Majoribus Iudicibus expediri debent, in arbitros compromitti non potest. Uti habetur ex penult. c. *De in integ. restit.* Et hinc primò causæ Matrimoniales, cum quaeritur de validitate, seu invaliditate matrimonii per arbitros transigi non possunt. Prout etiam ex *Concil. Trident. sess. 24. c. 20. de reformat.* habetur. Nec secundò causæ liberales, in quibus de libertate hominis, ingenuitate, vel libertinitate agitur arbitrorum committi possunt iudicio. Nec Tertio Causæ criminales publicæ & privatæ, si criminaliter ad vindictam publicam, aut pecuniarum per multam fisco applicandam agitur, arbitris committi possunt. Et quartò denique ea, quæ nobili officio iudicis expediri debent, & ad merum vel mixtum imperium spectant, per arbitros expediri non possunt, quæ arbitri tales non tantum nullum im-

perium, sed nullam etiam propriè dictam jurisdictionem habeant.

Secundò, compromitti non potest in arbitros de iis, quæ vergunt in præjudicium Ecclesiæ Romanæ, aut Sedi Apostolicæ. c. *Cum tempore 5. h. r.* ubi negatur, quòd arbiter aliquid dicere validè possit in præjudicium exemptionis, soli Sedi Apostolicæ subiectæ Ecclesiæ. Si tamen tantum agatur de Parochia aliqua aut Capella, utrum pleno jure incorporata sit Monasterio v. g. aut Ecclesiæ, quam nemo dubitat, exemptioni esse, poterit in tali casu in arbitros compromitti, & per hos causa definiti c. *Commotum 18. de præscript.* Hanc tamen prohibitionem meritò extendunt aliqui, quò minus à privatis in arbitros compromitti possit, circa causas sive res, quæ spectant ad Communitatem, ad Regnum v. g. ad Civitatem, &c. ne quid fiat in præjudicium Reipublicæ.

Tertio, compromitti non potest de iis, quæ per sententiam indubitatam, & quæ transivit in rem iudicatam, decisa sunt. c. *Exposita 11. h. r.* Compromissum enim fieri non potest super re, quæ dubio amplius non est, prout est causa per sententiam legitimi iudicis jam decisa, à qua appellatum non fuit, nisi circa rem talem novæ oriantur quaestiones, quæ per sententiam decisæ non fuerunt; patet tamen etiam ex hoc Capitulo, quòd ad observandum compromissum, & arbitrium ex eo latum, obfides à partibus dari possint, quæ postmodum arbitrio rescisso vel revocato legitimè restitui debent, cum sublato principali tollatur etiam accessorium.